



SCUOLA VATICANA  
DI PALEOGRAFIA, DIPLOMATICA  
E ARCHIVISTICA

*Ambr. epist. 37, 1-3*

Ambrosius Sabino.

1. Transmisi petitem codicem scriptum apertius atque enodatus, quam ea scriptura est, quam dudum direxi; ut legendi facilitate nullum iudicio tuo afferatur impedimentum. Nam exemplaris liber non ad speciem, sed ad necessitatem scriptus est; non enim dictamus omnia, et maxime noctibus, quibus nolumus aliis graves esse ac molesti; tum quia ea quae dictantur, impetu quodam prouunt, et profluo cursu feruntur.

2. Nobis autem quibus curae est senilem sermonem familiari usu ad unguem distinguere, et lento quodam figere gradu, aptius videtur propriam manum nostro affigere stylo; ut non tam deflare aliquid videamur, quam abscondere: neque alterum scribentem erubescamus, sed ipsi nobis conscii sine ullo arbitro, non solum auribus, sed etiam oculis ea ponderemus, quae scribimus. Velocior est enim lingua quam manus, dicente Scriptura: Lingua mea calamus scribae velociter scribentis (*psalm. 44* 2).

3. Sed forte dicas, quia velocitatem ad scribentem retulit. Non te fallit tamen id significari, quod scribae velociter scribentis celeritas sola possit linguae prophetae excipere sermones. Apostolus quoque Paulus sua scribebat manu, sicut ipse ait: Mea manu scripsi vobis (*Gal. VI 11*) ; ille propter honorificentiam, nos propter verecundiam.